



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod ratione debemus regi ac præueniri. Can. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

rem hominem ab ipsa delectationis impuritate suspendere, prorsus liberum seruare, videlicet hunc auertendo vt oblectamenti imaginationem nō recipiat, aut quasi alibi occupatus non aduertat, aut illis (si aduerterit) à memoria abigat.

Hoc modo ego benignissimus creator vester, qui nihil vobis inuideo, nullo creaturarum vsu offendor: quandoquidem non in creatura, tametsi naturalis non possit non sentiri delectatio, sed in me creatore vestro, quiescit. Distant enim intervallo longissimo, re quæ delectat, hoc est, cuius sentitur delectatio, propter necessitatem vti; & propter delectationem vti. Obseruanda est etiam maximè, custodia humilitatis: ne quicquam tuis viribus præsumas, nihil tuo labori, aut industriae, aut vigilantiaæ ascribas: nihil voluntati quamlibet bonæ tribuas: sed totum gratiaæ meæ. Quocirca nisi docta cognoueris cunctis viribus sudoribus atq; conatibus tuis diffidere, nisi senseris ne vnum quidem vitium posse te extirpare: & ne minimum quid virtutis ex te posse adipisci sine gratia mea & auxilio singulari, frustra expendis omnes conatus tuos.

Viribus conatibusque suis vt homo diffidat.

Quod ratione debemus regi ac præueniri.

CANON XVI.

EX his liquet omnibus, quomodo actus, sermones, cogitationes, affectus, motus, intentiones ac simul omnia quæ in te versantur, quæ te ingrediuntur aut egrediuntur, debes vigilanter perspicere, obseruare, examinare, frenare atq; regere, vt omnia singulaq; ratio præueniat dirigatq;, non ipsa sensualitas. Vbi cumque enim te præuenierit sensualitas, vbi cumque vt semper dominari gestit) cœperit iudicare, gubernare, necesse est multa confestim sequi & mala & incommoda. Quamobrem ratione (vt dixi) debes vigilare, ratione debes tibi ipsi imperare, vt velis vbi volendum, nolis vbi est nolendum. Ratione debes quoscunque motus tuos insurgentes vitiosos reprimere. Ratione debes naturalia tua regere, sensusq; tuos frenare, ne sine disciplina praua libertate corrumpantur. Ratione denique debes linguæ tuæ vim inferre, atque à verbis, quæ non ædificant proximum, aut quæ non ad meam gloriam proferuntur, te cohibere. Memor esto, quod dixerim, de omni verbo ocioso rationem reddendam: & desine nugari, desine iocari, desine fabulari referre atque rumores, desine aliis cachinnos excitare, desine & te in cachinnos soluere, aut in risum multum ac immodestum effundere. Vbi ratio aut necessitas dictauerit, loquendum est: verum id parce & modestis verbis, quantum attinet ad necessitatem: idq; benigne, leniter, humiliter, atque cum dulcedine quadã cordis & serenitate vulsus, abscindens diu loquendi aut in sermone euagandi occasionem. Cum nemine litem moueas aut rixam, cum nemine disputes aut contendas.

Ratione quoniam omnia moderanda.

Matt 12. Linguam frenari oportet.

Loquendi modus quoniam seruandus.

Rom 12.

Correptiones quæ exhibendæ sūt.

Cum quæ veritatis sunt dixeris, in aliorum sit optione credere, recipere aut respicere. Tuum non sit propugnare, præsertim vbi nihil (si non creditur) est periculi. Sine vt homines quæcumque velint sentiant, maximè de te. Tu mecum pacem habere, & quantum in te fuerit, cum omnibus hominibus. Cura vt nulli sis scandalo, nulli turbationis efficiaris occasio. Si ex officio vel conscientia alium cogedis docere aut corrigere, id facito non cum iracundia, non cum supercilio, non animo turbato, sed in animi tranquillitate, prudenter aduertendo temporis & loci opportunitatē, atque alias conditiones in te & in illo, vt tunc quando maximè speratur ei e-

Nnn 2 ruditi

Lex quæ nã
omnibus
sensibus
membris-
que indi-
ceada

rudicio profutura aut correptio, loquaris ei. Correctionem præcedere debet, fre-
quens alsiduaq; ad me pro errante fratre oratio, præmeditataq; circumspectio di-
cendorum. Hoc modo debes oculis, auribus, aut singulis sensibus tuis legem indica-
re, atque eos vi coercere, ne videndi, audiendi, sentiendiq; curiositate illecta, tu-
as in cordis inquietudines atque distractiones. Valdè etenim cor custo diendum est
ab euagatione, ab instabilitate, à multiplicitate, à sollicitudine: atque id multo ma-
ximè in diuinis. Tempusq; omne summa vigilantia atque studio in mei honorem,
& vt animæ lucrum aliquod crescat, expendendum, nec vlllo pacto inaniter tran-
sfigendum est.

Perfectio
omnis qui-
bus medijs
facile obui-
neatur.

Cæterum vt omnium ceu caput ac summam recipias, quæ pro obtinenda puri-
tate atque perfectione cordis debeas obseruare, breuiter & paucis multa dicam.
Abstractam ab omni homine vitam, & quantum potes, quantum ve status id mo-
us admittit, solitariam elige. Deinde vt ab hominibus, ita ab occupationibus
quoq; ac implicationibus animi, à curis, à locutionibus non necessariis, atque
prorsus à cunctis mundi negocijs totam te serues alienam, vt mihi sola in humi-
tate & silentio cordis ac oris vacare queas. Sensuum oblectamenta præter neces-
saris & infirmitatis casum omnia execrare. Annitere ad puritatem habendam cor-
dis: pro qua obtinenda sensus tuos omnes sub disciplina clausos, & cordis cõmum
habeas omni vigilantia custoditum, ne intret quod afficiat, quod perturbet, quod
inquinet aut fatiget. Propterea conari debes ad hoc maximè, vt intellectu à for-
mis imaginibusq; nudo, affectuq; ab omni vitiosa prorsus inclinatione purgato,
ab omniq; creatura libero, & spiritu collecto & adunato, ad me totam te conuer-
tas, tota mihi inhæreas, tota in me requiescas, supergrediens omnem creaturam,
& me solum continuè præsentem, indefinenter amantem, & vbiq; videntem in-
tuens, te ipsum obliuiscens, nesciens: & me solum, hoc est, gloriam meam, bene-
placitum meum sitiens atque in omnibus quærens, illudq; de manu mea in con-
tactis quæ tibi occurrunt, cum plenissima ac abssali tui ipsius abnegatione ac res-
tione, cum perfectissima humilitate, mititate, patientia & gratiarum actione re-
cipiens. Hic sit scopus tuus ô filia, in quem & propter quem externa quæuis con-
temporis exercitia, puta vigiliarum, ieiuniorum & id genus multa, quatenus ad hunc
finem accedunt, quatenus cordis puritatem iuuant ac promouent, adsumas. Quia
verò in eodem statu diu nemo permanet, quando cunq; & quouiescunq; ab hoc
statu te senseris excidisse, non aliter vt reuertaris debes satagere, ac si anima tua
salus foret adempta. Sicut enim nauta amisso clauo, aut cum remo fluminis ab-
stulerit impetus, non quiescit donec recuperet, quo dirigat nauem: sic quo-
que, tamen centies ab hac propositi tui integritate excideris quotidie, nihilo sci-
cius vires resumendo atque propositum restaurando, toties, reuertaris. Atque
ided omni in loco omniq; tempore, auribus tuis hæc vox infonet. Filia, intro ad
me redeas. Hæc est mystica Theologia, quam Pater meus à mundi absconditis spi-
pientibus, & reuelat eam paruulis. Hanc ego supremus omnium doctor cordibus
à mundo, à seipso, ab omni denique creatura euacuatis, solus inscribo. Pro hæc
gemitibus incessabilibus filia ad me clama, hanc profundissima humilitate deside-
ra, hanc in silentio & tranquillitate, hanc cum plena fiducia & spiritus fortitudi-
ne longanimiter expecta.

Sensus me-
tis quomo-
do regendi

Obseruan-
tiarum om-
nium sco-
pus quis esse
debeat.

Lapsus qui-
nam qui-
que resurge-
re debeat.

Theologia
mystica ve-
ra quæ sit.
Matt 13

Quomodo